

AB

153882



Sammelband 8.









L193,







ORATIO PANEGYRICA  
 DE  
 CLEMENTIA PRINCIPIS,  
 Imprimis verò de ejus Dignitate, Neces-  
 sitate, atq; Utilitate; Adjunctâ sub finem pro felici  
 Introitu votivâ gratulatione.

Ad  
 Serenissimum ac Celsissimum Princi-  
 pem ac Dominum

**Dn. CHRISTIA-  
 NUM,**

*Ducem Saxonie, Julia, Clivia ac Montium,  
 Landgravium Thuringia, Marchionem Misnia, nec  
 non Superioris ac Inferioris Lusatia, Comitem de Marca &  
 Ravensburg, Dominum in Ravensstein, &c.*

Dominum meum CLEMENTISSIMUM.

*Habita*

*In Scholâ Episcopali Martisburgensi*

*ab*

**Andreâ Rhostio, Scholæ patriæ ibi-  
 dem Con-Rectore.**

*Lipsiæ, Literis Lanckisianis imprimebat Christoph.  
 Cellarius, Anno Christi M DC LIII.*



108



*[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several paragraphs within a rectangular border.]*

L193,





ILLUSTRISSIMO CELSISSIMO QVE  
PRINCIPI AC DOMINO,

**Dn. CHRISTIANO,**

Duci Saxoniae, Juliae, Cliviae ac Montium, Land-  
gravio Thuringiae, Marchioni Misniae, nec non supe-  
rioris & inferioris Lusatiae, Comiti de Marca & Ra-  
venspurg, Domino in Ravenstein, &c.

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

*Summam felicitatem, successus prosperrimos, & incolumita-  
tem perpetuam, à summo clementia fonte & Principe  
vita Jesu Christo ardentibus votis precor.*



Audabilis quidam mos fuit, & con-  
suetudo vetus gentium quarun-  
dam, Illustrissime & Celsissime  
Princeps ac Domine, Domine Cle-  
mentissime, ne cui ad Regem aut  
Principem sine munere pateret aditus. Quae sane  
consuetudo apud Persas sanctè ac religiosè fuit  
cultæ & observata longo tempore. Apud quos et-  
iam lege cautum fuisse constat, ne quis Regem aut  
Principem peregrè adventantem, sive in regno  
obambulantem ullo modo indonatuni aut in-

A 2

ho-



*Dedicatio.*

honoratum prætermitteret: Quod observatum est exemplo Artaxerxis illius Magni, qui & Mne-  
mon cognominatus est; Cui Sineta quidam ru-  
sticus forte fortunâ in agro sibi obviam facto,  
quum is alterius offerendi muneris facultatem  
non haberet, aquam è Cyro fluvio haustam ma-  
nibus suis obtulit, quam Rex non modo libenter  
& humaniter acceptavit: verùm etiam stolâ Persi-  
câ, & Phialâ aureâ, & mille Daricis, largè omninò  
& regaliter compensavit: ut Auctor est Ælianus  
in suâ Historiâ. Idem ipsum præclare & laudabili-  
ter factum etiam in hodiernum usque diem, qui-  
busdâ in locis ad æmulandum acceptatur, quan-  
do nimirum urbes aut oppida Regem aut Princi-  
pem peregrè adventantem frugibus terræ aliisque  
donariis (additis insuper boni ominis causâ fau-  
stis congratulationibus & calidis votis pro ipsius  
felici accessu) aditum, quo in gratiam ejusdem ve-  
niatur, omnibus viribus & facultatibus conten-  
dunt. Meritò namque fit, ut Princeps, qui velut al-  
ter Sol, seu ut quibusdam placet, frater Solis, in hoc  
Cœlo Politico à DEO constitutis, cum sit in sub-  
limi loco positus & virtutum suarum radios un-  
diqvaq; diffundat, potissimum verò lucem Cle-

men-

L193,



*Dedicatio.*

mentia & Mansuetudinis in omnium conspe-  
ctum transmittat, atque lumen vultus sui salutare  
conspiciendum præbeat omnibus: ut plurimum  
beneficentiam suam exercendo; perinde ac Sol ab  
universis ac singulis ametur & honorificetur. Qua-  
propter, Serenissime Celsissimeq; Princeps ac Do-  
mine, Domine gratiosissime, quoniam intelligo  
Sereniss. Tuam Celsit. jam diu desideratam & ex-  
pectatam, Reipubl. capessendæ animo in sedem  
ac domicilium Imperii sui nunc demum ingres-  
sam, (quod factum DEUS Trinunus, Optimus  
Maximus ut suo numine approbare, perpetuoq;  
fortunare velit, ex intimis animi mei fibris rogo  
& exopto) nullo modo mihi committendum pu-  
tavi, ut Serenissimam Tuam Celsitudinem sine a-  
liquo munere indonata vel indotata ita præ-  
termitterem: memor consuetudinis illius hone-  
stæ ac laudabilis: cujus paulò antea facta mentio:  
Ac proinde operæ pretium me facturum ratus  
sum; si tale munus eligerem, quod non modo  
Personâ Principis heroicâ & ingenio ipsius sum-  
mo ac penè divino non indignum & aptum fo-  
ret, quo meum in Illustrissimam Ipsius Clemen-  
tiam obsequium & studium testificet; verum et-

A 3

iam!



*Dedicatio.*

iam dulcissimum esset illud accipere. Ea igitur ipsa animi fiducia fretus, **C E L S I S S I M E** ac **S E R E N I S S I M E** **P R I N C E P S** ac Domine, Oratiunculam hanc quam conscripsi & habui de Principis Clementia, praecipue vero de ejusdem Dignitate, Necessitate atq; Utilitate, Illustrissime tuae Clementiae more majorum muneris loco publice ac nominatim nunc dico, consecro, trado, offero; sperans omnino futurum ut pari comitate fortassis ac benevolentia illud accepturus esses, quia magnus ille Persarum Rex Artaxerxes, Sineae rustici sui munus levidense accepit, & benigne liberaliterque compensavit: non tam ex munere animum, quam ex animo munus aestimando. Quin Jure optimo illud mihi facere videor: siquidem debeo hoc officium summam Virtuti ac Sapientiae tuae, quae omnium literis & linguis celebrata est: debeo Illustrissimae Clementiae ac Parentelae tuae, in cujus fide nunc est patria nostra, quae omnes omnium Charitates complexa est: debeo denique hoc Celsissimae Bonitati Benignitatiq; ac paternae gubernationi totius inclytae domus Saxonicae, cujus memoriam in animo meo nulla unquam delebit oblivio. Tu vero o Princeps Serenissime,

Cle-

L193,



*Dedicatio.*

Clementissimeque Domine, munusculum hoc Chartaceum, quod Illustrissime Tuę Celsitudini devoto animo offero, animo, quæso, suscipe Heroico, id est: æquo ac benigno; Meque sub remigio alarum tuarum fovere & clementissime tueri ne dedignere. Faxit ille supremus cœli & rerum omnium Moderator & Arbiter, ut Clementissima Tua Celsitudo, cum Illustrissima Coniuge & Sobole celsissima ad Ecclesię, Reipublicę & Subditorum Emolumentum Nestoreos in annos vivat, vigeat, floreat & augetur, propter Altissimum Redemptorem ac Mediatorem nostrum Jesum Christum, in seculum benedictum, Amen. Dabam Martis purgi d. 19. Septembr. Anno 1653.

*Sereniss. T. Celsit.*

*Subiectissimus ac devotus Cultor*

Andreas Rhoftius, Scholę patrię  
ibidem Con-Rector.

Al-



*Oratio Panegyrica.*

*Altissimi Clementia Fontis Auspicio!*

ORATIO PANEGYRICA,  
DE  
CLEMENTIA PRINCIPIS.

*Exordium  
ab Enco-  
mio Sapi-  
entia, quod  
extat Pro-  
verb. 8. 5.  
14. & seqq.*



Gravissimum, ingens, quin imò om-  
nium hominū commendatione majus & verè  
divinum Sapien-  
tiae Elogium; Viri plurimūm  
Reverendi, Magnifici, Nobilissimi, Perstrenui,  
Consultissimi, Excellentissimi, Clarissimi, ut &  
Amplissimi, Gravissimi nec non Humanissimi,  
atque Præstantissimi, Domini Patroni ac Promotores, Fautores &  
Collegæ Mei Colendissimi, Faventissimi; Vosq̄ve mei meæ unâ fi-  
dei commissi & optimæ Spei Discipuli charissimi. Gravissimum  
inquam, Ingens, omnium hominum Commendatione Majus &  
verè divinum Sapien-  
tiae extat Elogium, quod non Ismenius Apol-  
lo aut Clarius è Specu aut Lacunâ, non furibunda Delphis Pythia  
ex tripode aureo, nec ex geminâ Qvereu aut arietino sui simula-  
chro Dodonæus, Jupiter aut Ammon; Sed è solio regio, Sapien-  
tiâ ipsâ de cœlis afflante, Magnum illud humanæ Sapien-  
tiae miracu-  
lum & oraculum protulit & elocutus est Rex Salomon: Meum  
(ibidem insit Sapien-  
tia) est Consilium & Ratio: Ego Prudentia  
sum: mea est fortitudo; Per me Reges regnant & Judices decer-  
nunt, Per me Principes imperant; & omnis orbis præsides sunt il-  
lustres: Ego diligentes me diligo: meq̄ve qui diligenter quærun-  
t, inveniunt. Me penes sunt divitiæ, & gloria, firmæ opes & Justitia:  
Melior est meus fructus Auro atq̄ve Obryzo: meusq̄ve proventus  
auro lectissimo. Quid quæso per Deum immortalem! non solum  
quibusvis Christianis hominibus pulchrius excogitari, verum vel  
maximè Regi aut Principi Christiano dignius commendari possit

aur.

L193,



## Oratio Panegyrica.

aut debeat? Siquidem, quod Eloquentiæ Parens Cicero de quatuor illis Virtutibus Cardinalibus in genere differit, hoc idem in specie de Sapientiâ & Prudentiâ Jure optimo nobis effari & deprædicari licet; quod ea sit Prudentiæ ac Sapientiæ Natura, ut si facies ejus cerni posset oculis, mirabiles sui amores excitatura esset. Tanta n. ibi est Pulchritudo atq; Elegantia, quanta si incurreret in oculos haut dubiè nemo esset, quin statim ac pedes figere didicisset, plenis eò cursibus festinaret. Nimirum hæc Optima Vitæ Magistra est, & Consiliorum præceptrix & felicitatis procreatrix: omnium deniq; Virtutum dux quædam & Moderatrix. Vitæ Magistra est & Consiliorum præceptrix, quia sola hominis genium & Ingenium ad vitam jucundam beatamq; format & confirmat. Omnium actionum divinarum humanarumq; gubernatrix & summæ felicitatis procreatrix; quia non solum auream illam investigat mediocritatem, & dijudicat, quid in quâque re sit verissimum ac tutissimum, quidve in hæc mortalitate præ reliquis consiliis magis ac magis sit expetendum aut fugiendum; Verùm etiam semper cautiorebus utitur consiliis, & providet, ut in tranquillitate Respubl. propagetur & conservetur, ad eamq; vel plurima veniant & redundent commoda. Hinc non sine causâ Agathon magnum quoddam Numen appellat Prudentiam. Quem imitatus Satyricus, quum ait: Nullum numen abest si sit prudentia: quo cum facit etiam scitum illud Platonis; qui tum demùm beatas fore Respublicas dixit: si aut studiosi Sapientiæ illas regerent, aut earum Rectores studere Sapientiæ cœpissent. Quemadmodum autem secundum Architam Exercitum regit Imperator, gubernator Navim, mundum Deus, animum Mens ipsa, sic felicitatem Vitæ ac Reipubl. moderatur Sapiencia. Quod non abs re inter alia festivè subindicare voluit Timotheus Cononis filius, quando Atheniensibus non talem optaret ducem, qui Exercitui culcitrâ deportaret; Sed qui veluti Argus Panoptes à fronte pariter ac tergo esset oculatus. Siquidem tam malè præest Imperio aut Regno is, quem non regit ac dirigit Prudentia, quam malè sumit Citharam artis illius imperitus.

Cicero lib.  
1. off. p. 4.

B

Scitè



*Oratio Panegyrica.*

Scitè proinde Jamlichius refert: Prudentia est Princeps Virtutum, quibus ordinem, modum, & occasionem in præsentia tanquam oculus quidam mentis clarissimus ostendit, modo hoc delendo: modo illa inscribendo; utrobiq; autem imitando; quæ optima sunt, & rectissima. ita: ut hæc ipsa de re, teste Macrobio, Janus, qui optimi principis typus est, geminam faciem prætulisse credatur, ut quæ ante, quæq; post tergum essent, intueretur. Nullus enim unquam ad præsentendum sagacior, nullus ad videndum vigilantior, nemo præsentia potest contemplari acrius, ventura prolixius, ambigua certius, captiosa felicius, quam qui ab hæc Romanorū *Antevortâ & Postvortâ* cingitur, stipatur & regitur Prudentiâ. Poëtis celebratur *Lynceus* quidam oculissimus, qui tantam vim in acumine, oculorum habuisse dicitur, ut *Parietum septa & arborum truncos* facile trajiceret, & (quem eadem *Verustas* locuta est:) dum in *Siciliensi speculâ* staret, *conspicari solitus Naves, de Africâ exeuntes, Prospectum enim ipsius hominis nec aër offusus, quem crassiolem exhalatio maris faceret, nec tanta disjunctarum regionum longinquitas impediabat: Sed longè acutior, longè perspicacior est is, qui ad Reipubl. gubernacula constitutus, ab hoc Sapientia Lumine & mentis acumine donatur, regitur ac perficitur. Quam proinde certissimam causam Ego esse puto; quod *Ægyptii olim in Sceptro Regio oculum suis hieroglyphicis designarunt: quæ ostenderent in Rege aut Principe maximoperè requiri Prudentiam; tanquam Reipubl. Vigilantem & prospicientem oculum, cujus prospectum nec aura aulicorum offusa, quam crassiolem exhalatio multorum consiliorum faceret, nec tanta disjunctarum opinionum longinquitas impedire queat. Hic enim locum habet quod Antonius de Guevâra in Horologio Principum indigitat; Multos cum Principibus loqui & ea dicere quæ ex usu esse principum videntur, cum hoc sibi contra habeant propositum, ut principibus deceptis ad suum negotia dirigant emolumentum. Sola autem illibabilis est Prudentia tanquã Lux & Claritas Solis: quia ut Sol est oculorum, sic Sapientia & Prudentia est lumen cordis humani, Sed!**

dum

*Anton. de  
Guevâra  
lib. 1. c. 37*

L193,



## Oratio Panegyrica.

dum ita magnificè progredior in prælibando Sapientiæ ac Prudentiæ Elogio, nescio, si non supra hanc statuam, quia reliquarum virtutum quasi Sol est & Princeps, annon jure optimo Sapientiæ humanæ velut alterum in regio Sceptro oculus aut alterum Solem, quam proximè a usim adjungere Principis Clementiam. Sol enim Dux ille & Princeps & Moderator Luminum coelestium, qui mundum radiis illustrat suis, nunquam expectat preces, ut exoritur; & cuncta luce suâ lustret, atq; compleat; sed spontè suâ & gratis fulget ac lucet; & ceu Jupiter salutaris salutatur ab omnibus: quibus salutare suum lumen accommodat: Sic Princeps & Rex bonus, qui populi sui moderator est & Dux, & veluti alter Sol in terris: aut ut quibusdam placet, Solis frater; non expectat preces, nedum plausus, aut strepitus, aut laudes eorum, quibus bene facere & Clementiam suam communicare vult: sed spontè & ultrò lumen vultus sui salutare conspiciendum, id est: Prudentiam exinde colligendam, præbet omnibus, & beneficentiam suam exercendo, æquè ac Sol ab universis & singulis amatur ac salutatur. Itaq; cum jam dudum, non duntaxat per hunc Episcopatum, sed & per plurimas Vicinarum regionum urbes Fama percrebuit, de felici & quam proximè futuro, Serenissimi & Illustrissimi Ducis ac Principis *CHRISTIANI*, Domini omnium nostrum Gratosissimi ac Clementissimi, salutari, ( ut à DEO ter opt. Max. expetimus ) Adventu in suam Residentiam, & proinde totius urbis compita implentur, & personant principis Clementiâ: Ipse quoq; pro more recepto sub initium nostri Examinis Vernalis oraturus impræsentiarum *DE CLEMENTIA* in Principe Christiano: ( velut altero in Regio Sceptro oculo ) nunquam satis laudatâ sed omnibus modis efferendâ, præcipuè verò de ejus Dignitate, Necesitate & Utilitate verba facere constitui. Nequaquam autem hic inficias eo, ad ejusmodi gravissimam materiam pertractandam, plus roboris, quam præ se ferunt ingenii mei vires, requiri eamq; multum succi ac sanguinis postulare. Ideò potius Sapiientissimis Philosophis, Exercitatisissimis Politicis, Disertissimis Oratoribus, Gravissimis Juris-

*Propositio.*



*Oratio Panegyrica.*

Consultis, Consultissimisq; ac Fidelissimis Principum Consiliariis, qui præterita sciant, præsentia cognita habeant, & futura longè prospiciant, relinquendam, quam à me inchoandam esse. Nihilominus tamen, cum à nostro instituto & studio humanarum artium non alienum: talem eligere materiam, quæ præsentis temporis inseruiat, Ipse quoq; præsentis temporis accommodando, in quo omnes hujus urbis Magistratus ac Proceres, Majores atq; Minores & cum Senioribus Juvenes, Maximi, Medioximi, infimi, Adventurum nostrum Principem, ut Dominum Gratosissimum & Clementissimū discipiunt, exoptant, venerantur & adorant, fretus Vestra omnium reverenda benevolentia & benignitate, quantum ingenui ænuitas mihi industriæ concesserit, ad eam delibandam accingor, inq; auxilium vocabo Historiam, ut ea, quæ propriâ Experimentiâ nec à me, nec à quoquam mortalium ostendi possunt, per Exempla demonstrarem. Quod dum paulò liberius facio, quæso ut per exiguum horulæ spacium benevolas mihi aures accommodetis.

*Confirmatio ubi patet  
i. Clementia  
Dignitas.*

Magnum est, Auditores omnium ordinum honoratissimi, Magnum est, & præclarum, Illustribus atq; Generosis hanc in lucè parentibus procreari; Magnum & commendatione dignum est, Vetustissimis ingeri familiis; Magnum & Laudabile, pietatis, continentia, fortitudinis simulacra, quotidiè intuèri domestica; Magnum & Perpulchrum; ad Reipubl. ad motum Gubernacula, nihil ambitiosè, nihil avarè, nihil præcipitanter agere. Magnum etiam est & omninò expetendum; ea quæ à Majoribus parta & acquisita sunt semel, tueri, augere, amplificare, non vel minuere, vel amittere prorsus; in subditorum deniq; promovenda & provehenda comoda excubare, atq; ita Patriæ Emolumento, familiae Ornamento; Afflictis Præsidio; Terrori hostibus esse. Magna hæc sunt omnia, præclara omnia, laude & celebratione digna omnia. Verum ad longè majora mea festinant verba, quæ satis dignè celebrare fatagunt eam ipsam Virtutem, quæ observetur monendo, cogitetur reprehédendo, induatur puniendo, exerceatur donando, & appareat alloqvèdo, intellige, Laudatissimã in Principe Christiano Clemetiã.

Hu-

L193,



*Oratio Panegyrica.*

Hujus autem Præstantiam & Dignitatem satis dignè efferre, nemo potest, etiam si in subsidium provocet Oratorum omnium, utpote vel Isocratis longe amabilem Jucunditatem, vel Lysiaj jucundam Subtilitatem, non potest si vel haberet subtile Hyperidis acumen, acutum. Æschinis sonitum, Demosthenis efficacem vim, nisi tantâ tâq; divinâ præditus sit Eloquentiâ (& dicendi flumine) quæ nunquã antehac audita, nunquam nata, nunquam excogitata fuisset; Quid enim ex omnibus rebus, quæ cælo continentur, tam eximium, tam Excellens, tam rarum, quod si cum CLEMENTIA in Principe comparetur, non statim vilissimum & abjectissimum videatur, & licet omninò istud arduum, magnum ac pretiosum, multis tamen parasangis Clementiæ Laudi postponatur. Animum inducite, quicquid ubiq; pretiosum est, examine, perponderate, judicate, non artificis statera, nec populari trutinâ; sed justa animi lance perpendite, omne Argentum, Aurum, Gemmas, Margaritas: Quid verò? annon in mentem venit vobis Πολυθούλλητον *lib. 1. Ep. 1.* illud Horatii: Vilius argentum est auro, virtutibus aurum. Ergò ad virtutes animum advertite, præcipuè ad quatuor illas Cardinales, Prudentiam, Justitiam, Fortitudinem & Temperentiam: Vis licet non majorem faciamus CLEMENTIAM reliquis virtutibus, tamen illa ipsa in omnibus ac singulis magis ac magis sese exeret, eminet, splendescit. Quid dicemus? Num ex his omnibus aliqua, præsertim in Principe conspecta & accuratè observata, Unius Clementiæ carere potest? Prudentia certè etiam si divino Elogio satis est vestita, nec unquã destituetur suis laudibus, nisi Clementiâ juxta se comitè habeat, Præcipitâtia potiùs esset appellâda. Justitia, quæ tamè has omnes in sese cõtinet virtutes, absq; hâc solâ Clemetiâ, ut sũmũ jus, sũma sæpè injuria & injustitia vocitâda. Fortitudo severitas & feritas, Téperantia disceda turbatio & perversitas. Rectè proinde Cicero, cum pro Marco Marcello Juliũ Cæsarem propter fortitudinem & laudes bellicas supra omnes cælos extolleret, quia tantæ essent, ut omnium gentium literis & lingvis celebrarentur, & dignæ, ut nulla ætas de illis conticesceret; tamen ipsius Clementiæ dedit primas, quando fortitudinem bellicam, militares artes, vi-



*Oratio Panegyrica.*

11  
storias & triumphos esse illi communes cum cæteris militibus: Clementiam verò & bonitatem ad ipsum solum scilicet Julium Cæsarem pertinere asserbat: majorem nempe gloriam, quam Clementiâ, vix aliâ re Imperatorem aut Principem assequi posse statuens. Et verum: Sic enim ipse cum pro Ligario dicens Cajo Cæsari Clementiâ summo studio svaderet, inter alia in hæc verba prorupit: Nihil esse tam populare, quam bonitatem, nullam de virtutibus principis plurimis nec gratiorem, nec admirabiliorem misericordiâ esse, quin imò homines nullâ re propius ad Deos accedere, quam salute hominibus dandâ. Subditi seu populus, ut nihil magis quam crudelitatem detestantur & vituperant; ita nihil magis in votis habent, quam Bonitatem Clementiamve Principis, nil magis laudant, nil potius extollunt & deprædicant. Si enim Clementem Principem norint subditi, liberiori animo vota sua explicant, & si deliquerint fæteri audent, quid? nil magis admiratione dignum in Principe quam Clementia. Quid enim admirabilius, quam si Princeps oculos immittit in immensam multitudinem subditorum, discordem, seditiosam, sui impotentem, in perniciem alienam suamque pariter exultantem, & videt, se ex omnibus Electum esse, qui in his terris DEI vice fungeretur; SE vitæ necisque arbitrum gentibus, qualem quisque sortem statumque habeat, in manu suâ positum esse, suo responso lætitiæ causas populum concipere; si talia, inquam, videt & animo perpendit, maximè sane mirum est, quod in tantâ facilitate rerum, Eum non Ira ad iniqua supplicia compellat, non humanus impetus, non temeritas hominum & contumacia, quæ sæpè quoque tranquillissimis pectoribus Patientiam extorsit, non ipsa ostentandæ per terrores potentia dira & magnis frequens Imperiis Gloria; sed Clementiam potius adhibeat. Ut major, quæ jam dixi, & facilior verbis habeatur fides, excutiantur modò omnes veterum Philosophorum Bibliothecæ, perlustranda omnis antiquitas, replicanda omnium veterum Historiarum, monumentorum memoria, ut sciamus, quid Sapientissimi quique de Clementia in principe senserint; quibus rationibus & argumentis adducti, o-

mninò

L193,



*Oratio Panegyrica.*

minò eos divinos & interitùs expertes esse cum sibi tum aliis per  
svaserint. Magna licet aliàs & verè immortalis per Clementiæ lau  
dem Principi Christiano accrescat gloria, tamen vix ulla major est  
eà gloriã & dignitate, quæ à divinitate Clementiæ accedit, quod ni  
mirum Princeps, qui Clementiam exercet, D E O fiat simillimus.  
Nullã re, (inquit Cicero) propius ad Deos accedunt; ac si dicat:  
Quemadmodum à Deo summa gloria dependet; sic Principes Cle  
mentiam exercentes participes ejus fiunt, à quã & Deo quasi æquan  
tur. Deus est mortali (dixit C. Plinius secundus) juvare mortalem:  
& hæc ad æternam gloriam via est. Num quicquam ex omnibus  
quæ sub cœlo sunt, Principis fortunam existimamus habere majus,  
quam ut possit: num naturam melius, quam ut velit conservare ho  
mines quamplurimos, ut alibi idem docuit Cicero pro Ligario.  
Ex quo Theodosius Imperator Honorio filio suo salubre hoc, apud  
Claudianum, consilium ingerit dicens:

Sis pius imprimis, nam cum vincamur in omni

Munere, sola Deos æquat Clementia nobis.

Nec tibi, quid liceat; sed quid fecisse decebit

Occurrat, mentemq; domet respectus honesti.

Nimirum hæc est illa Virtus; ut ejusdem Poëtæ verbis utar:

Quæ docet ut poenis hominum vel sanguine pasci

Turpe ferumq; putes: ut ferrum Marte cruentum

Sic cum Pace premas: ut non infensus alendis

Materiam præstes odiis: ut fontibus ultrò

Ignovisse velis, deponas ocyus iram,

Quam moveas: precibus nunquam implacabilis obstes.

Nec inconueniens etiam huic Carmen illud Senecæ in Octaviã:

Pulcrum eminere est, inter illustres Viros,

Consulere Patriæ: parcere afflictis, ferã

Cæde abstinere: tempus atq; iræ dare,

Orbi quietem: seculo pacem suo:

Hæc Summa Virtus est, petitur hæc Cœlum!

act. 2. scen.

2.

Sic



*Oratio Panegyrica.*

Sic ille Patriæ primus Augustus parens  
Complexus astra est, colitur & templis DEUS.  
Ex quibus simul apparet, etiam Ethnicos Reges suos Clementes inter DEOS retulisse, quod & ipsa Experientiæ mater, Historia alibi prolixius testatur. Legitur enim apud Volcatium Gallicum, Marcus Aurelius Imperator, qui totus Antonio de Guevâra Episcopo Accitano in Horologio suo Principum pro multis est Exemplis aliis, Ille, occiso Avidio Cassio, qui res novas in oriente molitus fuerat, olim Uxori Faustinae, cū ea immitiùs consulisset, ut Cassianæ rebellionis reos supplicio afficeret, talem Epistolam misisse: Tu, inquit, religiosè quidem pro marito & liberis nostris agis, quum me hortaris, ut in Avidii conscios vindicem. Ego verò & liberis ejus parcam, & genero & Uxori: & ad Senatum scribam; ne aut proscriptio gravior sit, aut pœna crudelior. Nihil enim est, quod Imperatorem Romanum melius commendet gentibus, quam Clementia. Hæc Cæsarem Deum fecit: Hæc Augustum consecravit: Hæc Antonium Patrem tuum præcipue ornavit. Ad Senatum autem in hanc sententiam scripsit: deportati redeant, proscripti bona recipiant: atque utinam possem multos ab inferis excitare; si ex animi mei sententiâ de bello esset judicatum, nec Avidius esset occisus; Quare Avidii Cassii liberis, & genero & uxori veniam dabitur; quid dicam veniam? cum illi nihil fecerint? Vivant igitur securi sub Marco Antonio, Vivant in Patrimoniis parentum, sint divites, sint securi, sint vagi & liberi; & per ora omnium circumferant & meæ & vestræ pietatis Exemplum. O laudatissimum Imperatorem, ô clementissimum Principem! ô Virtutem verè Imperatoriam ac regiam: quod etiam ritè mecum Cyrus ille Xenophontæus, nullam virtutem magis propriam Imperii & potestatis esse, affirmat, quam Clementiam: quâ qui præditi sunt verè Dii nominantur. Sicuti etiam ob hanc ipsam Virtutem multi Reges ac Principes in numerum Deorum relati, apud veteres postea divinos Honores consecuti sunt. Quippe ob hanc ipsam Cyri immortalis gloria vivit: Pyrrhi gloria vivit: Quorum postremus iste, ut an-

tea

L193,



## Oratio Panegyrica.

tea ejus mentio facta est, quum undecies centena millia in acie fu-  
disset: & Romanum hoc Imperium auctoritate & virtute suâ con-  
stituisse: tot Regum & Populorum solus Victor & Triumphator:  
tamen ausus est Sapientissimus & Eloquentissimus Marcus Cicero  
ad eum dicere: nullam de omnibus ejus Virtutibus majorem, nul-  
lam admirabiliorem, nullam diviniorem esse Clementiâ & Mife-  
ricordiâ, quâ in puniendis inimicis suis usus fuisset, qui nihil obli-  
visci soleat, nisi injurias. Annon hoc magnum, gloriosum & verè  
divinum in tanto Principe aut Imperatore Præconium? Annon  
Virtus ea Maxima, quâ Princeps imaginem & Exemplar Dei in his  
terris refert. Tolle animam; cadaver est ac funus omnis hæc mul-  
tudo, & ut Cyclops apud Homerum amisso unico oculo huc il-  
luc impinget & ruet: sic tolle in Principe, qui ut Seneca vult, est a-  
nima Reipubl. & secundum Hugonem fundamentum Populi,  
quod etiam denotat vocabulum græcum βασιλεύς, ἀπὸ τῆς βασί-  
ως τῆς λαῶ. tolle, inquam, in ipso Clementiam, quæ solis frater est  
& alter in Regio Sceptro oculus habetur: tota Respubl. totum  
corpus & omnis reliqua multitudo in tristitiâ, velut in Cimmeriis  
tenebris obambulabit, & universa moles, regentis sui Clementiâ  
tanquam lumine destituta corruet. Nam non solum summis lau-  
dibus est decorata, admirabilis in Principe Clementia, verum etiam  
maximè Necessaria virtus est, quæ in Principe Bono requiritur.  
Non privati hominis virtus est, inquit Seneca, sed competit Princi-  
pi, atq; adeo est virtus ejus, qui summum jus habet in alios. Fulcrum  
quoddam est Regiæ Majestatis, quod ingentes illas imperiorum  
moles, tanquam magnus quidam Atlas humeris suffuleit, ut habet  
Auctor de Jure Belli Belgici, & propterea in Principe maximè Ne-  
cessarium. Quid enim Principes ac Reges in suis titulis primo ferè  
loco Clementiam describerent? & à suis subditis Clementes salu-  
tari vellent, nisi hanc ipsam Virtutem tanquam summè necessariam  
animadverterent. Novit hoc divinus Plato, qui post Dionysium  
expulsum Tyrannide, scripsit ad Dionem in Patriam reversum,  
eum admonens, & Heraclitem & Theodetem, cæterosq; amicos,

2. Necessi-  
tas.

Ep. 4. ad  
Dion.

C

penes



*Oratio Panegyrica.*

penes quos rerum potestas erat, ut procul à Tyrannide viverent, meminissentq; communem benevolentiam esse ad res peragendas summopere necessariam; hanc verò solà humanitate comparari posse atq; servari: Διὰ τῆς ἀρέσκου τοῖς ἀνθρώποις, inquit, καὶ τὸ πρῶτον ἐστίν. Ab eo quod placeas hominibus actionum efficacia est. Princeps namq;ve, qui sibi amorem subditorum, cuius magna vis est, conciliavit, non modo sine curâ regnat, sed etiam sine magno labore; Quia subditi cum amant Principem, ad nutum ejus se componunt, quod in Alexandro Magno & ejus militibus, multisq; aliis apparet. Econtra vero Imperium sine Amore non durat, nam invisa nunquam imperia retinentur diu, inquit Seneca Tragicus, Quod Julius Cæsar curæ cordiq; sibi esse sivit; abdicans oblatam sibi regiam potestatem, Dictaturæ nomen retinens, quo magis fugeret invidiam. Quin Ipse quotiescunq; Victor evaderet, neminem extra aciem occidi passus est, sed devictis atq; in fugam conjectis hostibus, milites suos, qui fugientibus suis acriter instabant, acclamare solitus: Miles parce civibus: ostendens ita, Clementiam etiam Victori erga victos & hostes esse exercendam & summe Necessariam. Hinc non morituris laudibus celebratur Scipio Africanus: qui se malle unum civem servare dixit; quam mille hostes perdere: quo nimirum nihil aliud significare voluit, quam quod Clementiâ & Benignitate Imperium temperare oporteat, & in Reipubl. statu, quantum fieri possit, omnes cives sibi reddere benevolos, quod si id fieri nequeat: saltem ita, ne hostes existiment eos, qui gubernant. Tyrannica sane Vox est & Syllano, ut Seneca vult, seculo nata, & ex Tragoediâ lumpta: oderint dum metuant, quam detestabilem vocem Caji Cæsaris Caligulæ Symbolum fuisseprehendimus apud Reusnerum, cuius insuper vox hæc fuit altera, Carnifice tamen quam Imperatore dignior, optare se unam duntaxat habere cervicem Populum Romanum. Cui verò haut abs re postmodum à Chærea occiso insultavit populus Romanus: At tu, inquit, unam cervicem habes: nos verò manus multas. Sic nequam probandum illud Tiberii; qui, quamvis hujus Symboli aspe-

ritatem

Hier. Ca.  
gnol. de re  
Etâ Princi-  
pis educa-  
tione c. 39  
fol. 48.

Reusnerus  
in Symbol.  
Imperato-  
ris Part. 1.

L193,



*Oratio Panegyrica.*

ritatem mollire conatus, oderint, inquit, dum probent. Malè enim is profecto videtur odium conjunxisse cum approbatione. Nam quod homines oderunt, haut libenter probant, nec quod probant, oderunt. Naturâ autem hoc insitum est, ut quem timueris, hunc semper oderis. Hinc Phalaris Tyrannus ad Paurólam filium scribens; Ego utrumq; expertus, Tyrannidi malim subesse, quam præesse. Qui enim subest, aliorum malorum securus, unum metuit Tyrannum: qui autem præest Tyrannus, eos simul metuit qui foris insidiantur & à quibus domi custoditur. Quam in sententiam Lucretius scribit:

— — — è summo quasi fulmen dejicit ictos,  
Invidia interdum contemptim in tartara tetra,  
Ut satius multò jam sit parère, quietum  
Quam regere imperio res velle, & regna tenere.

Multum itaq; ab his dissensit & longè secius imò longè melius sensit Trajanus Imperator, qui amicis incusantibus, quod parum memor Imperatoriæ Majestatis, nimium expositus esset omnibus; respondit: talem me præstabo Imperatorem privatis, qualem optarem aliquando ipse Privatus. Maluit profecto Imperator suâ Clementiâ potius amorem subditorum sibi conciliare, quam nimiâ severitate odium illorum in sese concitare. Siquidem ob eam ipsam rem Natura in Apibus alioqui pro captu corporis pugnacissimis animalculis, commenta est Principem seu Regem aliis proceriorem, & quasi honore potiorem, sed sine aculeo: quâ pulcherrimâ imagine optimis principibus Symbolum & singulare documentum proposuit, ut potius præsent ac dominantur Clementiâ & mansuetudine, quam vi & gladio. Audiamus, licet, in eandem sententiam Principem Stoicorum Senecam; Sic enim Ille libro de Clementiâ: Majorem, inquit, potestatem non oportet esse noxiam, si ad Naturæ legem componitur. Natura enim commenta est Regem, quod ex aliis animantibus licet cognoscere, & ex Apibus, quarum regi amplissimum cubile est, medioq; ac tutissimo loco, & ibidem: Præterea insignis Regi forma est, dissimilisq; cæteris tum ma-

*Lucret. l. 5.*

*Erasm. l. 8.*

*Apopht.*



Oratio Panegyrica.

Quem Machiavellum  
Claudius  
Minos in  
Comment.  
super Em-  
blemata  
Alciati, &  
quidem su-  
per Embl.  
145. nomi-  
nat virum  
parū fidei  
ac vera Re-  
ligionis,  
quod etiam  
scripta ejus  
quædam te-  
stantur, in-  
ter alia in  
Tractatu  
de Princi-  
pe c. 17. p.  
m. 92. & 93.  
contra quæ  
disputat  
AntiMa-  
chiavellus  
l. 3. theore-  
mat. 8. & 9.  
Tholozano  
l. 8. de Re-  
publ. c. 4.

gnitudine, tum nitore Hoc tamē maximè distinguitur: Iracundissi-  
mæ, ac pro corporis captu pugnacissimæ sūt apes, & aculeos in vul-  
nere relinqvunt: Rex ipse sine aculeo est. Noluit illum natura nec  
sævum esse, nec ultionem magno constituram petere: telumq; de-  
traxit & ejus iram inermē reliquit. Ingens hoc magnis Regibus esto  
Exemplum! Sunt hæ naturæ quædam veluti leges non scriptæ: ut  
quisq; maxime potens est, ita tardum ad puniendum oportere.  
Hinc memorabile & rarum est Exemplum Hadriani, qui Imperium  
adeptus inimico dixit: EVASISTI. Proptereâ quod parvi & abje-  
cti animi esse duceret: exercere Inimicitias cum inferiore; econtra  
nihil esse laudabilius, nihil præclaro viro dignius placabilitate &  
Clementiâ, teste Cicerone. Quod & Rusticus ille & morosus De-  
mea, ut est apud Comicum, jam dudum reipsâ reperit: Facilitate  
nihil esse homini melius, neq; Clementiâ. Nihil itaq; hic agit sed  
omninò explodendus & refellendus est, Atheos iste Italus, Nicolaus  
Machiavellus. Quando Metu asserit imperia contineri, dum sva-  
det Principi, ut parvi ducat Sævitiæ nomen, & si alterutro carendum  
esset, satius esse metui, quam diligi; idq; Consilium variis Exemplis  
stabilire ibidem satagit. Sed quam longissimè aberret à vero scopo,  
testabuntur illi, qui Consilium ejus secuti in extremam perniciem  
vitæ ac famæ postmodum sunt præcipitati. Sicuti enim plerumq;  
ejus consilia, prima specie læta & applausibilia, tractatu verò dura,  
successu tristia ac eventu perniciofa esse solent: ita etiam hoc loco.  
Metu quidem in Imperiis administrandis opus esse, quo Authori-  
tas comparetur, nemo sanus negabit: Verum cum Senecâ hic di-  
stingvendum & sciendum: alium esse metum temperatum,  
alium assiduum & acrem; ait enim, temperatus timor  
est, qui cohibet, assiduus & acer in vindicandum excitat.  
Ille prior in Regem tendit, hic posterior in tyrannum, qui Sævi-  
tia comparandus est. Quid! quod aliàs etiam nimia Clementiâ  
& delictorum immunitas, asserente Tholozano addat delinqven-  
di illecebram, & fiat noxia & inanis Clementiâ; Quo referendum  
Responsum illud, quod Crafordius Dux Comes dedit legatis An-

glicis

L193,



*Oratio Panegyrica.*

glicis, multum commemorantibus sui Regis Clementiam: se quidem scire, nullam esse virtutem, quæ magis Clementiâ regem deceat eique sit necessaria: verum providendum, ne nimiâ lenitate, soluto imperio, mali magis insolescant, quam boni ad officium excitentur, ut refert Georg. Buchananus. Et Cleomènes, dicente quodam, oportere bonum principem omninò mitem esse: eò usque inquit, dum contemptui non sit. Cui etiam calculum suum adjicit Cicero: Qui Reipubl. causâ severitatem aliquam adhiberi vult, cum sine eâ civitas administrari non possit. Ex quo Romani Magistratibus suis secures fascibus alligatas prætulērunt, ut ostenderent leviter delinquentes virgis: peccantes graviter securi & capite puniendos esse: Proinde Clementia in tempore, & loco est adhibenda, quæ verba sunt Petri Martyris. Nam est tempus quod severitatem experat, est Clementia quidam animi affectus, quo pronisumus ad ignoscendum, & ab ultione deflectimus. Quin & ipsi Judici, qui planè medius esse debet, (ideo enim *μεσότης*, ut ait Aristoteles, vocantur) tamen si in alterutram partem declinandum sit quod Circe dicebat, minus periculi est, si navis ad Scyllam potius inclinaret, quam ad Charybdim: ita in hominibus puniendis, minus mali est in Clementiâ & lenitate, quam in sævitiâ ac acerbitate ut placet Mureto. Quippe non minus turpia sunt Principi multa supplicia, quam medico multa funera. Quid verò honestius, quam culpa benignitatis, quo fit ut remissius imperati melius paratur & obsequio mitigentur imperia, Auctore Senecâ. Certè si Experienciæ aures præbuerimus, docebimur, qui benignitate ac Clementiâ Imperium temperavere, his candida & lata omnia fuisse, etiam hostes æquiores, quam aliis cives, quod infinitis Exemplis possit demonstrari si tempus & locus pateretur. Sed ut citius ad portum appellam, cogitate, quæso, Auditores omnium ordinum optimi, cogitate modo, quæ, quanta, & quam innumera, ex unica hâc in principe laudata & insigni virtute Clementiâ, ad universos totius generis humani status emergant, profluant & redundent commoda. Quid refert magnum esse, ait div. Chrysostronus

*Buchanan.*  
*l. 11. rerum*  
*scoticarum*

*Cic. l. 1. off.*

*Plutarchus*  
*in Problem.*

*Alexander*  
*ab Alexan.*

*l. 3. genial.*  
*dier. c. 5.*

*Class. 4. lo-*  
*cor. comm.*

*c. 14. sect. 1.*

*Seneca l. 1.*  
*de Clemen-*  
*tiâ.*

*3. Utilitas.*

*Chrysostr.*

*hom. 27. ad*

*Cor. 2.*



*Oratio Panegyrica.*

Si nemini proſis, quemadmodum videlicet nil prodeſt, medicum artis ſuæ peritum eſſe, ſi nulli ægrotantium medeatur: Ita etiam ne vana eſſet Gloria Clementiæ, ipſius utilitates in obscuro latere, non poſſunt. Sicut enim ſevitia gignit metû, metus odium, odium inſidias, inſidiæ interitum, quas res perpetua comitatur infamia. Sic ex Adverſo Clementia principis, fidem atque benevolentiam parit multitudinis. Benevolentia & fides Charitatem: Charitas Securitatem, Securitas Diuturnitatem imperii, quarum rerum omnium comes eſt immortalis gloria. O Beatâ Rempublic, in qua princeps obedientiam in ſubditis & in principe ſubditi amore inveniunt! Utrumq; a. provenit ex ſolâ Principis Clementiâ. Ubi n. Clementia eſt Principis in ſubditos, ibi etiam eſt Amor. Ex Amore autem Principis, Obedientia naſcitur in ſubdito, & ex obedientia Clientis ſubditiqve amor naſcitur in Patrono! ut alibi Philoſophatur Marcus Aurelius Imperator. Hinc etiam ille ipſe, ut erat Princeps per omnia moderatiſſimus, & Imperator fortiſſimus ſic præter alia, hoc quoque tulit Elogium: quod Dion & Suidas refert: quod ſui ſemper ſimilis in omnibus fuerit: neqve ullâ in re variabilis aut mutabilis: reverâ bonus Vir, nec quicquam habens ſimulati; ut maximè autem ſingulari hæc virtute præditus Clementiâ, propterea (ut ſunt ejuſdem Dionis verba) non tam metum ex crudelitate, quam Amorem ex bonitate animis ſubditorum indidit, & ſic abſque periculo ad ſummum regni decus & faſtigium pervenit. Is cum quodam die captivis ſeſe aggregaſſet, idque factum verè Romanum ab omnibus probaretur ac laudaretur; Fulvius Senator tolerare illud prudenter neſciens, his Imperatorem verbis quaſi Cavillando compellavit: Miror, Domine Imperator, cur ita omnibus te dedas? cum Autoritas Imperatoria non poſſit, niſi familiaritatem nimiam fugiendo conſervari. At Marcus Aurelius audito quod in omnium (& Senatorum & civium) præſentiâ Fulvius (quem penitus nôrat) dixerat, ſummatim retinuit tolerantiam, vultuque hilari (ſubridens) Actio, inquit, quam hodie nihi intentat Fulvius in craſtinum differatur. Tum enim & matu-

rius

L193,



*Oratio Panegyrica.*

rius erit meum responsum & sedatior ipsius bilis. Cum autem postero die convenisset in Capitolio Senatus (& ingens populi circa Imperatorem multitudo, Elegantissimam in Cætu omnium habuit. Imperator optimus orationem, in qua coram toto Senatu, Fulvio, qui ipsum scommate notaverat, quasi nimia erga omnes affabilitate, gravium Authoritatem Imperatorum parum tueretur: Sufficiantissimam & maximè concinnam (ut erat insignis Orator & Philosophus) dedit Responsum, ostenditque plurimum obesse Principibus Morositatem, prodesse comitatem, operamque iisdem dandam ut vivi habeant, qui DEOS pro ipsis precantur, mortui à quibus celebrentur. Quam totā & Historiā & Orationem, ut esset digna, hinc allegare nimis longum foret. Ubi inter alia Principes ac Megistanes dextrè admonet, ut ad eò se præbeant, erga subditos suos, affabiles, ut ultroneā malint ipsis voluntate, quam stipendii (aut mercedis gratiā) servire. Nummi enim inquit, si desint; mox cessant obsequia, & mille succedunt ægre ferentium indignationes, quod in ministris spontaneis non evenit. Nam qui ex animo diligit, is neq; in prosperis insolescit, nec in adversis deserit, neq; in paupertate queritur, neq; gratiæ imminutionem iniquo fert animo, neq; in persecutione cunctatur aut defatigatur. In sūma Amor & Vita ante extremum halitum non finiuntur. Qualem amorem in subditis erga principem ita expertus est & probè intellexit Constantius Chlorus Imperator: qui ingentem auri vim propter Diocletiani & Maximiani Criminationes, ad nutum ipsius, à subditis, certatim atque promptè collatam in Galliā; domum his cunctantibus & Imperatori suo gratificari cupientibus reportari iussit, quod nimirum ejus nusquam tutior custodia, nusquam etiam ex eā fructus major, quam apud subditos dilectos, capi posse videretur; quibus, quoties opus foret, cum centuplo fænore, & cum maximis usuris repeti ea posset. Sic & Clementissimus & Prudentissimus Imperator amore studuit subditis obsequentioribus uti, & Clementiā opes & statum suum firmare & imperium amplificare, quin imo voluntates subditorum suā sponte ad parendum comparatas, præstitā hanc Benevolentia & Benignitate magis

*Anton. de  
Guevara l.  
1. c. 39.*



*Oratio Panegyrica.*

ac magis allicere, teque explorata hâc æquitate & Clementiâ magis amabilem & gratum illis reddere. Novit enim optimus Imperator Populum ut Equum ferocem & indomitum tractandum & gubernandum esse. Cui si Equo abblanditur, eumque mollissimè in principio tractat, habet eundem obsequentem: si imperite eum rexit, erratum equus ferox vindicat, suumque sessorem dejicit. Populus enim si subito primâ fronte, vi adigitur ad jussa capienda, calcitrât, fluctuat, æstuat & satagit imperium excutere, ubi verò Benevolentia & veluti ex causa & ob suam Utilitatem gubernatur, obsequentissimus efficitur. Amplexendum itaque & ambabus, quod dicitur, manibus amplexandum est illud: Absit metus, Charitas retineatur. Ita omnes facillimè quæ volumus & in privatis rebus & republica consequamur. Etenim qui se metui volent, à quibus metuuntur, eosdem metuant ipsi necesse est. Quid enim censemus Dionysium, quo cruciatu timoris angi solitum: qui cultros metuens tonlorios candenti carbone sibi adurebat capillum? Quid Alexandrum Phæreum, quo animo vixisse arbitramur? qui (ut scriptum legimus) quum Uxorem Thebem admodum diligeret: tamen ad eam ex Epulo in cubiculum veniens; Barbarum & eum quidem (ut scriptum est) compunctum notis Threiciis, districto gladio jubebat anteire: præmittebatque de Stipatoribus suis; qui perscrutarentur arculas muliebres: & ne quod in vestimentis occultaretur telum, exquirerent. At ô Miserrum! qui fidelio rem & Barbarum & Stigmaticum putaret, quam Conjugem! quamvis non fefellit eum opinio, siquidem ab eâ propter pellicatus suspicionem & Tyrannidem interfectus est. Nec verò ulla vis tanta est, quæ premente metu possit esse diuturna. Testis est Phalaris, cujus est præter cæteros nobilitata crudelitas: qui non ex insidiis interiit: ut is, quem modo dixi, Alexander, non à paucis ut Caesar: sed in quem universa Agrigentinorum multitudo Impetum fecit. Quid Macedones? Nonne Demetrium reliquerunt, universique ad Pyrrhum sese contulerunt? Quid Lacedæmonios? iniquè & sæviter imperantes, nonne repente omnes ferè socii deseruerunt,

L193,



*Oratio Panegyrica.*

ruerunt, spectatoresqve se ociosos præbuerunt Leuëtricæ calamitatis? quod hætenus Cicero, Valeant igitur metus & violentia, adamantina vel verius viminea illa vincula Tyrannica Dionysiana ad stabiliendum imperium. Quæ enim, obsecro, potest esse in tyrannorum vita fides? quæ Charitas aut stabilis benevolentia fiducia? Omnia semper suspecta & sollicita sunt: Nullus locus est amicitia, Quis enim aut eum diligit, quem metuit? aut eum, à quo se metui putat. Nam Timiditas, inquit Plutarchus, Tyrannorum, maxima est causa cædium; fiducia sui, placidos ac mansuetos, & à suspicionibus vacuos reddit. Ita ferarum quoque eæ, quæ à cicuratione & mansuetudine sunt alienissimæ, timidæ sunt, & omni strepitu terrentur, generosæ autem non aspernantur huiusmodi blandam tractationem, quia propter fiduciam sui, facilius se aliis committunt. Quo Claudianus respexisse videtur, dum canit:

*Qui terret plus ipse timet: fors ista Tyrannis  
Conuenit, inuideant claris, fortesqve trucidant,  
Muniti gladiis vivant, septiqve venenis  
Ancipites habeant arces, trepidiqve minentur.*

Unde Xenophon Tyrannum mala sua commemorantem sic loquentem introducit: Timeo celebritatem hominum, timeo solitudinem, incustoditos aditus, timeo ipsos custodes, neque inermes habere vellem circa latus, neque armatis multum confido. Prudenter itaque M. Tullius asserit: Nihil esse apertius ad opes tuendas ac tenendas quam diligi, nec alienius, quam timeri. Si quidem inexpugnabile munimentum est amor civium, ut Seneca Neronem monet. Quid enim pulchrius, quam vivere optantibus cunctis? Quis huic studeat struere aliquod periculum, sub quo iustitia & æquitas, Benevolentia & lenitas, alma pax & securitas floret, sub quo opulenta civitas, copia bonorum abundat? Et quid ergo non discimus Experimento, fidissimam esse custodiam Principis, ipsius Clementiam. Arces in Urbibus ad publicum præsidium & munimentum sunt constitutæ, sed quæ Arx, quod munimentum

D

quod



*Oratio Panegyrica.*

quod castellum est tam firmum, ad publicum Praesidium quam  
Clementia. Clementia enim non solum Subditos, verum etiam  
Principem ipsum reddit tutum. Quemadmodum enim Arx ab ar-  
cendo dicta, quod arceat hostes; Ita Clementia est arx fortissima,  
tutissimaque. Arcet enim & illa hostes intestinos & clandestinos,  
ne insidias struant famae ac vitae sui Principis: quin imò arces tan-  
dem expugnantur, Clementia autem est inexpugnabilis. Depre-  
hendimus in Historiis sic instar arcis firmissimae & castelli tutissimi  
Clementiam fuisse Octavio Augusto, Imperatori Romano. Is enim  
jam quadragesimum annum agens, inque Galliam tum temporis de-  
gens certior fiebat, quod Lucius Cinna ex flore Juventutis Nobilis  
adolescens & Pompei nepos insidias ipsi tenderet, narrabatur etiam  
ubi, quando & quomodo illum adoriri & neci tradere vellet, quod  
nimirum inter sacrificandum Caesarem trucidaturus esset. Hoc  
itaque proscripto, Augustum diversissimos sermones interea tem-  
poris de isto foventem & proferentem accessit Livia Imperatoris  
Conjux in conclave, fac, inquit, quod periti medici solent, qui ubi  
usitata remedia non procedunt, tentant contraria: Severitate,  
adhuc nihil profecisti, ignosce. Cinna deprehensus est, Vitae tuae no-  
cere potest, famae tuae prodesse potest: Ad quod Augustus illum in  
Colloquium sibi accersere iussit. Venienti autem & jam nunc ad  
nutum Imperatoris juxta solium confidenti coepit prolixè recen-  
sere, quam varia atque plurima in illum locasset beneficia, quae ra-  
tione illum vitam donasset, cum inter captivos duceretur, quemad-  
modum paternam suam Hereditatem, quam tamen exhibitam ho-  
stilitate perdidisset, eidem restituisset, quae solennitate praeter multis  
reliquis ad Pontificatus dignitatem, (qui honor Romae erat maxi-  
mus) illum evexisset, & tandem quaesivit ex illo, quid causae esset,  
cur ipsum neci tradere voluisset. Lucio Cinna ad haec penitus in  
ruborem suffuso, ulterius pergunt Augustus, Vitam tibi, Cinna, in-  
quit, iterum do, prius hosti, nunc Insidiatori & Parricidae. Ex ho-  
dierno die inter nos incipiat amicitia, contendamus utrum Ego  
meliore fide vitam tibi dederim, an tu mihi debeas. Atque una de-  
fere.

L193,



*Oratio Panegyrica.*

ferebat ipsi Consulatum. Hæc mansuetudo & longanimitas, hæc Imperatoris lenitas & Clementia adeò permovet Cinnam, ut per omnes reliquos vitæ dies Cæsari fidelis ac charus permaneret, nec unquam tale quippiam adversus Cæsarem audere animo concupisceret. Ex hoc memorabili ac singulari, raro & præclaro clementiæ ac mansuetudinis exemplo liquidò apparet, quàm firmissima & fidelissima animorum Conjunctio exinde sit consecuta. Rem proinde non acu sed acie & mentis acumine tetigit supra dictus Imperator Marcus Aurelius Antonini gener, quando in reprehensione Fulvii coram Senatu Romano, pro fine tanquam loco Epiphonematis hæc addit: An nescitis Bonum Principem & Virtute præstantem, quando catenas aufert à pedibus victorum, cordibus eas sub-  
jicere Subditorum ac Clientum. Subindicans ita longè tutius esse animos victorum & victorum majori benevolentia & Clementia vincire eosque sibi fideliores reddere, quorum tutela fretus securus esse possit, quam severius aliquantò in illos animadvertere, & ad defectionem & proditorem magis pronos habere. Clementia, enim, inquit Rex Salomon, Thronus regis corroboratur ita, ut amor civium reciprocus commodè murus urbis, atque in eadem principis præsidium dici possit; Quod inter alia quondam Landgravium Thuringiæ Friedericum Ferreum Cæsari Friederico deprædicasse intelligimus, qui rogatus à Cæsare de arce Numburgensi, quare tam egregius locus & verè regius muro non esset cinctus, se non indigere illo, ait, aliàs intra triduum facili negotio firmissimum circa circum construere murum, eumque Cæsareæ Majestati commonstrare posse arguens. Confestimque, ut Cæsar Friedericus ad id subridens impossibile duceret, per universas in suâ regione ditiones, Comites, Barones, Dynastas, totumque ordinem equestrem cum subditis suis convocare jusfit, quos sub nocte postmodum circa arcem tanquam murum statueret, ita tamen ut Identidem loco turris esset Comes, Baro, vel alius heros fortissimus; Quibus per fenestrâ undique ab Imperatore altero manè conspectis, atque eodem elegantem structuram deprædicante. Significavit: Amo

*Horolog.  
Princ. lib.  
1. cap. 39.*

*Proverb. 20  
v. 28.*

//

D 2

rem,



*Oratio Panegyrica.*

rem, Obedientiam, Fidelitatemque Subditorum suorum ipsi sibi esse instar muri fortissimi ac longè tutissimi. Quod idem sane consideravit & animadvertit patrum nostrorum memoriâ quidam, optimus & prudentissimus Princeps Germaniæ Eberhardus, primus Dux Wirtenbergicus. Cùm enim in quodam conventu Imperii reliqui principes gloriarentur de rebus preciosioribus, quas singuli in suâ ditione vel thesauris haberent, illum dixisse ferunt: se habere quidem ditionem non ita latam, quàm omnibus rebus refertissimam: nihil tamen pretiosius in eâ ducere, quam se ita amari à suis subditis, ut si vel in venatione, vel alias aberraret, & solus in deviiis locis relinqueretur, nullas prorsus insidias metueret, sed absque omni solitudine somnũ capere posset in sinu cujusvis subditi. Ex quo rectè Agasticles rogatus, qua ratione Princeps tutus, absque stipatoribus, & satellitibus vivere posset: Si, inquit, subditis ita imperet, ut pater liberis. Nam verum est, quod Xenophon scribit, nihil interesse inter principem bonum & bonum patrem, & certior est securitas ex mansuetudine: solaque misericordia est, cui omnes virtutes cedere honorabiliter non recusant: ut Cassiodorus scribit. Adeoque hæc virtus tanta est, ut sine illa cæteræ virtutes etiam si sint, prodesse non possint: ut Leo Pontifex dixit. Quod si in historiarum campo paulò longius exspaciari velimus, per exempla illud demonstrare singulis ferè locis nobis esset obvium. Sed vela contrahimus atque hic pedem figimus.

Audivistis Spectatissimi Domini Auditores, audivistis fortean & probè notastis, quam multa Comoda à Principe Clemente ad nos promanare soleant, quam infiniti fructus exinde proveniant, quam necessarium vinculum sit ad Regnum stabiliendum & obedientiam cum fidelitate in subditis comparandam; quam verè Deus audiat, qui Clementiam exercendo subditos suos aliàs etiam indomitos, ita mansuetè coërcet, flectit, regit, gubernat. Clemens igitur sit Princeps, qui in subditorum animis habere amorem debitum desiderat; si amicabilem illorum benevolentiam ambit, clemens sit. Clemens sit Princeps, qui ob regni sui securitatem gestit, si lætatur

in

1/  
qva de re  
vide prin-  
cipium lib.  
8. de Cyri  
disciplina.

Cassiodor.  
l. 2. in Epist.

L193,



*Oratio Panegyrica.*

in regni firmitate, si exultat constantissimâ illorum fidelitate Clemens sit. Clemens sit princeps, quia hoc est ex usu publico, & nihil magnum nisi quod placidum, Clemens sit quia longe valentior est Amor ad obtinendum, quod velis, quam timor. Clemens sit quia potissima dos in principe liberalitas & Clementia, ut quondam interrogatus respondit Diocletianus Imperator. Clemens sit Princeps quia nulla aliâ re propius ad Deum accedit, quàm Clementiâ. Cum enim Dei in his terris Vicarius & Minister sit, videat quoque ut, quantum in hac infirmitate naturæ nostræ possibile, Deo assimiletur; assimilabitur autem si molli brachio & miti animo suum exercuerit imperium: Clemens sit; Heroem olet Vespasiani illud, qui adeo mitis, ut etiam justis suppliciis illacrymaverit, quod Svetonius. Clemens sit; Patrem testatur Antonini Pii, item Scipionis Africani vox illa, quam in ore semper habuerunt: malle se unam civem servare, quam mille hostes perdere, quod Reusnerus. Deum ferè refert Divi Augusti illud, qui Cinnæ, suo non tantum facto sed nato inimico, licet noverit, ubi, quando & quomodo insidias struxerit, tamen non solum omnia ignovit, sed & adhuc præteritis compluribus amicis, sacerdotium detulit, quod Seneca, & alii æternitatis Cedro non sine singulari laude incidérunt. Faxit Deus ter Opt. Maximus, ut tantos etiam virtutum, præcipuè verò speratæ & justæ clementiæ radios de se spargat Illustrissimus & Celsissimus Princeps ac Dominus CHRISTIANUS, Dux Saxonæ, Juliæ, Cliviæ ac Montium, Landgravius Thuringiæ, Marchio Misniæ, & utriusque Lusatiæ, Comes de Marcâ & Ravenspurgo, Dominus in Ravenstein \*.\*.\* Dominus noster Gratosissimus & Clementissimus. Faxit Deus Ter Opt. Max. inquam, ut jam diu desideratus velut alter Sol seu frater Solis in hoc Cælo Politico à Deo constitutus, virtutum suarum radios in universum mundum projiciat, & veluti Sol sui regni, Lucem Clementiæ & mansuetudinis in omnium conspectum transmittat, suosque Cives ac Subditos singulari Benevolentia amore, admirabiliq; & verè insigni, quâ pollet, Clementiâ moderetur, foveat & illustret. Ita enim fiet, ut bonitatem ipsius, Equites ac

4  
*Votiva Acclamatio ad Principem Sereniss.*

No-



*Oratio Panegyrica.*

Nobiles agnoscant, Civitates deprædicent, Rurâ laudent, pauperes experiantur, certatim omnes veluti Benefici ac Salutaris cujusdam Numinis, admirentur. Ita fiet ut in ipsius Consilio tota & tuta conquiescat Ecclesia, Clementiâ admirabili dirigatur Respublica. Ita fiet, ut habeatur Deliciæ & Amor populi, ut adoretur augustissimū augustissimæ domus munimentum. Ita devinciet sibi Cives atque Socios tanto amoris vinculo, ut eum non secus atque Parentes liberi ament, pro ejus vitâ & incolumitate Vota benigniori animo ad Deum faciant, pro Eodemque caput summis periculis objicere & sanguinem profundere non dubitent. Tu verò ô Augustissime ac Illustrissime Princeps ac Domine, Domine CHRISTIANE, qui non tam nomine, quam re & animo & tota vivendi ratione CHRISTIANISSIMUS, vitam tibi potius eripi patiâris quam fidem, DOMINE Gratosissime, DOMINE Clementissime Salve! Salve! Tuamque Celitudinem cum Illustrissima Coniuge ac Sobole Celissima & cum totâ domo Saxonica, Illustrissimo Parente, Serenissimo ac Potentissimo Principe ac Domino, Domino JOHANNES GEORGIO ELECTORE SAXONIÆ; Domino nostro Clementissimo, Deus Trinunus potentissime tueatur. Vivat vel Solius Clementiæ laude Illustrissimus Princeps ac Dominus, Murus Reipubl. nostræ firmissimus, quam longissime ac felicissime, ut sub Rutæ Saxonice umbrâ, in Ecclesiis, Rebus publicis & Scholis Halcyoniorum usu usque ad adventum Filii Dei quam diutissime fruamur ac gaudeamus. Servet Deus Rutam è Saxoniâ fabrem contra omnem noxam: Lilia ex Cliviâ formosâ contra diras tonantis fortunæ, invidiæ, ac discordiarum tempestates ac procelas. Conservet Leones: Leonem ex Juliaco Fortem contra clandestinas malevolorum insidias: Leonem ex Montanæa Vigilantem, contra malignas iniquè insidiantium fraudes; Leonem ex Thuringiâ robustum, contra ingravescentes fraudulentorum hominum impetus; ex Misniâ provehat ac temperet sonum, contra vitiosos ac latè serpentes morbos. Aream ex Marchiâ fertilem protegat, contra varias ingruentium calamitatum incurfiones; Bovem ex Si-

lesia

L193,



*Oratio Panegyrica.*

lesia tueatur innocuum ac validum contra Præliantium minas.  
Columnam ex Hennebergiâ solidam confortet, contra intortè  
consectantium & tumultuantium turbines. Trabes denique è Ra-  
venspurgo firmas corroboret, & consolidet contra intentatam in-  
teritum machinantium ruinam. Vivat Heros Fortissimus, vivat,  
vivat Elector Saxonie potentissimus! Vivat Illustrissimus Princeps  
CHRISTIANUS! vivat, vivat omnium voto Dominus noster  
Clementissimus! Vivat! & Vos quotquot adestis, mecum acclama-  
te: Vivat Princeps Illustrissimus & Illustrissimè FLOREAT.

DIXI.

*M* Artisburgiaca Qui nunc feliciter Ora  
Missæ per ingentes sceptræ prebendis Avos,  
Gens Regum, & Reges iterum, CHRISTIANE, da-  
tura,  
Quos Sala, quos pronis Albis adoret aquis,  
Huic faciles præbere oculos dignare libello,  
Sunt ea, quæ loquitur, Principe digna viro:  
ATE quæ Cives Magni, Medioximi & imi  
Expectant, votis congruitura suis.  
Nempe TIBI se commendat Clementia, PRINCEPS,  
Ex æquare potens TE, benè culta, DEO.

Hac lætissima acclamatione  
Illustrissimo Principi ac Domino suo Clementissimo  
humilimè & subjektivè.

Auctori verò istius Dissertationis solertissimæ  
felicissimæ, amicè

gratulatur

Johannes Philippi J. U. D. Facult.  
Juridic. Asses. Com. Palat. Cesar.

Ad




*Oratio Panegyrica.*

*Ad Clarissimum Dominum Authorem  
de Clementia Principis peroran-  
tem.*

**S**cilicet ingentes prostrernere Marte catervas  
Hannibalis, diri Principis ecce nota:  
At bonitate suâ multos superare Potentes,  
Hoc decus, hoc veri Principis ecce nota.  
Id tua blandiloquo dum ROSTHI docta Minerva  
Ore refert, famâ jam super astra volas.

Heinricus Volckmar, J. U. D.

F I N I S.



L193,











153822

ULB Halle

3

005 906 296




R


VON











PANEGYRICA  
DE  
TIA PRINCIPIS,  
ejus Dignitate, Necesita  
adjunctâ sub finem pro felici  
otivâ gratulatione

Ad  
ac Celsissimum Princi-  
ac Dominum

CHRISTIA  
TUM,

Julia, Clivia ac Montium,  
regia, Marchionem Misnia, ne  
loris Lusatia, Comitem de Marca &  
Dominum in Rabenstein, &c.

m CLEMENTISSIMUM.  
Habita  
iscopali Martisburgensi  
ab  
stio, Scholæ patriæ ibi  
Con-Rectore.

ckisianis imprimebat Christoph.  
Anno Christi M DC LIII.

